Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.

Wien, 1794 Seite 1523

Quelle:
Copyright:

edoctus ſum relatu fide dignorum, quod nec vnum errorem probare potuit przibram ſuper Anglico, et ſi ego mentiri vellem, auditorium totum ſcit, in quo defecit, quia actus inchoatus per prefatos Magiſtros perfectum non ſuſcepit complementum. Atqui *Przibramius* cum *Paynio* congreſſus eſt a. 1427. et 1429.

Codici Membrana eleganter exarata, ſed mutila ſubtexta eſt, ſiſtens *Tabulas Indulgentiarum* collatarum bene facientibus Eccleſiae *S. Galli abbatis in Ciuitate Pragenſi* a quibusdam Epiſcopis, quorum adhuc legi poſſunt: *Adenulphus Conſanus Archiep. Nicolaus Tortibulenſ. Jacobus Calcedonienſ. Angelus Feſulan.* et *Bonifacius Parentin. Epp.* Adſcriptus eſt *Bonifacii Pape octauui Annus ſextus*, et infra ejus Ratihabitio: — — *noſtra ordinaria qua fungimur confirmamus XL. Dies hujusmodi remiſſionis et gracie — — appenſione muniti. Sub Anno Domini Milleſimo. CCC. primo. ij. Idus Julij Pont. noſtri anno Sexto.*

CCCCXI.

934 Codex chartaceus lat. boh. Sec. XV. Folior. 175. 4. non una manu exaratus, conſtat ſequentibus: I. Indice alphabetico in *Decretum Gratiani*, qui ad calcem ſcriptus dicitur et finitus: *in decollatione Sancti Johannis Baptiſte, hora quaſi XXII. in Baſilea. Anno M° CCCC° XXIII.*

II. *fol.* 24. Indice Locorum S. Scripturae, quales habemus ad calcem Operum SS. PP. Hic vero idem labor impenſus eſt a ſolerti Diſcipulo Operibus *Joh. Wicleſi*, ut Doctor hic, quem ſui *Evangelicum* dixere, nulla re priſcis illis Eccleſiae Doctoribus inferior diſcederet; nam et Opera ejus Summariis, Notisque diligenter inſtructa, et textos eorundem Catalogos plus vice ſimplici vidimus, qua in re *Bohemos* prae ipſis ejus Popularibus elaboraſſe arbitror.

III. *fol.* 109. ſequitur absque titulo Ejusdem *Paſtorale.* Initium: *Cum duplex debet eſſe officium chriſtiani* &c. Ut alias. In praeſenti deſunt extrema.

IV. *fol.* 133. absque titulo Ejusdem *Speculum ſecularium Dominorum.* Initium: *Cum veritas fidei eo plus rutilat* &c. Ut alias. Hic vero mancum.

V. *fol.* 139. p. 2. item absque titulo Ejusdem *de Sex Jugis.* Initium: *Ut ſimplices Sacerdotes zelo animarum ſuccenſi* &c. Ut alias.

VI. *fol.* 145. absque titulo Defenſio IV. *Articulorum*, quos a. 1421. *Pragenſes* e mente *Wicleſi* et *Huſſi* publicarunt, quique proſtant in *Cochlaei Hiſt. Huſſit.* L. V. p. 199. et a nobis non ſemel allati ſunt. Incipit haec Defenſio: *Quia fideles ut ſupponitur chriſtiani inhabitantes regnum Boemie conceperunt, qualiter propter peccata ſuperiorum et ſpecialiter ſacerdotum multa mala in chriſtianiſmo*